



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Prima Post Epiphania, Euangelium Luc. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMINICA I.

fidei, sicut in Psal. Lex tua sicut aurum plurissimum. Thus significat inuocationem & confessionem. Myrrha, crucem & afflictiones, quæ sequuntur confessionem.

Hæc munera nos quoq; debemus offerre Christo. Primus cultus est studium doctrinæ & fides. Secundus est inuocatio. Nam sic uere colitur, non cum ipsi damus, sed cum ab eo petimus: sed inuocari debet fide id est, fiducia mediatoris Christi, non propter nostra merita. Postea sequuntur afflictiones, non tantum corporales, sed etiam Diaboli insidiæ. Et Deus uult ecclesiam subiectam esse afflictionibus, ut in his exercentur fides.

DOMINICA PRIMA POST Epiphania, Euangelium Luc. 2. secundo.

ET IBANT PARENTES EIUS
quotannis in Ierusalem, in die festo
Paschæ. Et cum factus esset annorū
duodecim, ascendentibus illis Ierosoly-
mam secundum consuetudinem festi,
consummatisq; diebus cum redirent illi,
remansit puer Iesus in Ierusalem, & non
cogno.

cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, uenerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & inter notos. Et non inuenientes eum regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum & audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super intelligentia & responsis eius.

Et uidentes eum, stupebant. Et dixit mater eius ad illum. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quod in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt uerbum, quod locutus est eis. Et descendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Mater autem eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.

DOMINICA I.

LOCI SEPTEM SVNT.

PRIMVS.

*De cere
monijs
seruan
dis.* **E**xemplum de seruandis ceremonijs, diuinitus institutis, Maria, Ioseph & Iesus, ueniunt ad Pascha, tametsi erant iusti, nec pro sese habebat opus hac disciplina, sed præbent exemplum, ut discamus ceremonias seruandas esse, quæ profunt ad conseruationem ministerij, tum ut ipsi discamus, tum ut alij inuitentur, & propagetur euangelium.

SECUNDVS.

*Quæ fue
rit dispu
tatio chri
cū Docto
rib.* **F**ILIVS inconsultis parentibus manet in templo, & confert cum doctoribus de doctrina, haud dubie disputans de regno Messie, quod ipsi arbitrabantur fore mundanum, & reprehendens errorem eorum de cultibus, quos putabant esse iustitiam.

TERTIVS.

*Quatenus
parentib.
sit obedi
entia.* **Q**uando licet filijs detrectare auctoritatem parentum? Respondeo. Mandatum dei anteferendum est uoluntati parentum, ut Christus inquit: si quis patrem aut matrem plus diligit, quam me, non est me dignus. ut quando parentes prohibent studium ueræ doctrinæ, confessionem, coniugium. Rursus extra hunc casum debetur obedientia parentibus. Ut hic Christus redit domum cum parentibus absoluto uocationis officio.

Quare

QUARTVS.

DE negligentia & dolore **Mariae**, **Mundus** nō **Negligē** intelligit esse peccata, nisi externa civilia peccata. **Non** agnoscit quantum malum sit natus **mandata** ralis infirmitas & negligentia in quocunq; **manda** **to Dei** **to Dei**. **Sed** sancti intelligunt magnitudinem huius interioris imbecillitatis, & saepe experiuntur ingentes poenas sequi leuem negligentiam, ut uidetur. **Et** magnitudo calamitatum, quibus praecipue oppressi sunt sancti, coarguit & conuincit eos, quod adhuc circumferant peccatum, & quidem in illis calamitatibus agnoscunt sua uitia, securitatem, negligentiam, diffidentiam &c.

Ita hic **Maria** agnouit suam negligentiam, cogitabat sibi praecipue mandatam esse custodiam huius **Negligē** filij, se esse oblitam officij sui, conferebat se cum **Eua**, **Mariae** quae antea perdidit genus humanum, nunc ipsa cogitat se alteram **Euam** esse, quae amisso filio rursus perdidit genus humanum, cogitauit omnia miracula, quibus deus ipsam ad curam huius filij excitauerat. **Cum** igitur uideret quantum peccatum esset haec negligentia, necesse est fuisse ingentes dolores toto **Negligē** triduo, quorum magnitudinem nemo hominum intel **nia mag** **nū pec** **catum** **ligit**.

Hic igitur discamus qualia sint peccata sanctorum,

F 4 rum,

DOMINICA I.

rum, nec extenuemus uitium naturalis infirmitatis aut negligentia. Sicut magnitudo calamitatum monere nos debebat, ne id extenuaremus. Est autem in singulis sanctis multiplex negligentia, quæ postea etiam accersit ingentes ærumnas.

QUINTVS.

*Vbi Chrg
quondam.*

*Quæ sit
vera Ec-
clesia.*

CHRISTVS inuenitur in templo, id est, in ministerio. Quo significatum est querendum esse Christum apud ecclesiam, Ecclesiam audiendam esse, sed iudicandum esse ex ministerio, hoc est, ex uerbo dei, illa demum est ecclesia, quæ habet ministerium uerbi dei, & uerbo monstrante reperitur Christus.

SEXTVS.

*Parentibus
obedi-
am, quia
tunc non
iubent gra dem.*

*& uerbum
no.*

VT Christus officio uocationis absoluto donum redit cum parentibus, ita meminerimus & nobis præcipi, ut obediamus parentibus, sed ita ut anteferamus mandatum dei, iuxta uocationem.

SEPTIMVS.

Quomodo proficit filius dei? Respondeo. In omnibus sanctis dona sunt illustriora & excitatiora usu, sicut econtra sunt languidiora & extinguuntur negligentia, ut parabola de talento docet. Et Paulus inquit ad Tim. Excita donum quod tibi est collatum etc. Habebant apostoli donum linguarum

guarum, sed id alebant lectione & exercitatione.

Hec exempla nos quoq; hortentur ad intentionem & curam, & ad exercitationem in omnibus donis spiritualibus, hoc est, in studijs, & in coërcendis pravis cupiditatibus, in excitandis bonis motibus, in uocatione & alijs.

DOMINICA II POST EPIPHANIA, Euangelium Ioan. 2.

ET DIE TERTIA NVPTIAE factae sunt in Cana Galileae, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino, dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. dicit ei Iesus: Quid mihi tecum est mulier? Nondum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris. Quodcumq; dixerit uobis, facite. Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas uel ternas.

Dicit ei Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum. Et dicit eis, haurite nunc, & ferte architricli-

F 5 no.